

Johann Bacmeister

**Rector Academiae Rostochiensis, Joannes Bacmeisterus, Phil. & Med. Doct. ac Professor, Ad Exequiale officium, quod Humanißimo Doctißimoq[ue] Viro, Dn: M. Joachimo Burmeistero, Scholae trivialis perintegros 40. annos Collegae fidelissimo, Maestißima vidua & liberi paratum cupiunt, Cives Academicos omnium ordinum honoratisimos hodie ad mediam primam officiose & amanter invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740899686>

Druck Freier  Zugang



*RU med 1629*

*Baechmeister, Johann*







20.  
RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
JOANNES BACMEISTERUS,

Phil. & Med. Doct. ac Professor,

Ad

Exequiale officium,

quod

Humanissimo Doctissimoq; Viro,

DN: M. JOACHIMO

BURMEISTERO, Scholæ tri-

vialis per integros 40. annos Collegæ  
fidelissimo,

Mæstissima vidua & liberi paratum  
cupiunt,

Cives Academicos omnium ordinum

honoratissimos hodiè ad mediam primam  
officiose & amanter invitat.



ROSTOCHI

Literis Joachimi Pedani, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XXIX.

*Ex  
Bibliotheca  
Candemice  
Rostochiensis*





RECTOR  
ACADEMIE ROSTOCHIENSIS  
JOANNES BACMEISTERUS,  
Phil. & Med. D. ac Professor.



Anta miseriarum & calamitatum multitudo est, quæ naturam, undique cingunt & premunt, ut nec cogitando nec dicendo satis explicari & exhauriri queant: imò si tantum lachrymarum profunderemus, quantum vicinus Varnus noster undarû volvit, non sufficerent ad justâ earum deplorationem. Hanc verò miseram humanæ vitæ conditionem Bucchananus graphicè & elegantissimè describit in sua lephte; hisce versiculis:

*Non unquam mihi  
Secura vita fluxit ulla portio.  
Ut trudit undas unda, fluctus fluctui*

*Cedit*



*Cedit sequenti, pellitur dies diu:*  
*Semper premuntur praterita novis malis,*  
*Dolor dolori, luctui est luctus comes.*

Ita si primam nostram contemplemur originem, nascitur homo inter gravissimos eminentium cruciatus, & statim ubi in hanc lucem prodit, fletum edit, quasi flebilem & planè miserabilem vitæ conditionem, quam ingreditur præsentiens: Postea in perpetuo quasi fletu & miseriis, tranfigit dies suos, & verè, ut in Psalmo dicitur, per vallem lachrymarum procedit, in qua quod optimum experitur, molestia, dolor & labor est, & tandem tristissimos mortis pavores subire cogitur, quemadmodum id præclarè descriptum reliquit Poeta vetus:

Δακρυχέων ἐνδρόμιω, καὶ δακρυΐτας ἀποθνήσκῃ  
δάκρυσι δὲ ἐν πολλοῖς, τὸν βίον εὔρου ὅλον  
ὡς ἄρ' ὁ ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενεσ, διηλεκτὸν  
συσέμμιον κτ' γῆς, καὶ ἀελλορροῦμον.

*Lachrymans sum natus, sed & lachrymans*  
*morior,*

*In lachrymis universam comperi vitam.*  
*O genus hominum lachrymosum, debile, miserabile*

*Tractum in terra solutum ἔσται.*



Id verò hoc nostro seculo, vir quidam pius e-  
leganti tetraſticho, melius & verius expreſſit :

*Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita  
madescit*

*Et vitam rursus linquimus in lachrymis.*

*O multas hominum lachrymas, absterget at  
omnes*

*Omnibus electis, ipse Deus lachrymas.*

Hujusmodi lamentabilis vitæ humanæ condi-  
tio, quotidie nobis, proh dolor, ob oculos po-  
nitur, dum intra pauculos dies & nondum inte-  
grum octiduum, ex diversis ordinibus & qui-  
dam Ecclesiastico Dn. M. ANDREAM DUNCKE-  
RUM, ad D. Petrum Pastorem, ex politico Dn.  
NICOLAUM REIERN, Senatorem, elatos vidi-  
mus, & hodie ex Scholastico Dn. M. JOACHI-  
MUM BURMEISTERUN efferemus. Ab  
honestis & piis progenitus est parentibus An-  
no superioris seculi 1564. in urbe per celebri  
Lunæburga, patre sibi homonymo JOACHI-  
MO BURMEISTERO, matre MARGARE-  
TA SOLTOVIA, à quibus tum temporis do-  
ctissimis Scholæ patriæ præceptoribus Dn. M.  
ALBERTO LENICERO, LUCÆ LOSSIO, EURITIO  
DEDEKINDO, HIERONYMO RHUDENIO, & aliis eo-  
rum Collegis in disciplinā traditus est, & sub iis

tan-



tantum in bonis litteris profecit, ut anno 1586.  
ætatis 22, in hanc nostram sese contulerit Aca-  
demiam, in eaq; ita vixerit, ut omnium favo-  
rem & benevolentiam, inprimis propter Mu-  
ficæ peritiam sibi conciliaret & eorum com-  
mendatione, cum tenuioris fortunæ esset, ad  
liberalem mensam promoveretur; In quo offi-  
cio suo, diligenti ac sedula institutione puero-  
rum suæ fidei commissorum, talem se gessit,  
suamq; modestiam ac industriam, ita probavit,  
ut dignus judicaretur, qui publicæ etiam con-  
ditioni præficeretur. Ab amplissimo igitur  
hujus urbis Seuatu Anno 1589. circa festum Pa-  
schatos, in Collegarum Scholæ trivialis apud  
nos, numerum, & Cantorem in templo D. Ni-  
colai est receptus; undè semestri exacto, in  
templum Marianum est translatus, munusq;  
primarij Cantoris ipsi fuit demandatum; cui  
usq; ad annum 1593. præfuit, idq; fideliter ad-  
ministravit; quò factum ut primum in præ-  
ceptorum classicorum ordinem, voluntate &  
consensu amplissimorum patronorum transi-  
ret, ac deindè paulatim altius ascenderet, &  
secundæ classi præficeretur; atque ita, piè hic  
noster defunctus, totos 40. annos in pulvere,  
scholastico magna cum patientia contrivit &



consumpsit, Syſiphiumq; hoc ſaxum indefeſſo  
labore volvit, & id quidem ea dexteritate &  
laude, ut honeſtam ſui memoriam, merito om-  
nibus, qui ipſum norunt penitiùs, relinquat.  
Licet verò interdum ſeverior videretur, eò ta-  
men à boni præceptoris officio non recellit, ſi-  
quidem ea hodiè, proh dolor, juventuris ſic  
protervia, ut niſi tempeſtivè & juſtis ac debitis  
mediis coerceretur, facilè in avia abriperetur.  
Bonum itaq; præceptoris officio functus, Spartæ  
ſuæ uſq; ad extremum vitæ halitum, ſumma  
cum fide præfuit. Ne verò continuis illis labo-  
ribus Scholaſticis defatigatus penitus ſuccum-  
beret, de laborum & curarum quotidianarum  
levamine, vitæque ſocia ſibi adjungenda co-  
gitare cœpit, & Anno 1591. ætatis 29, divina ita  
diſponente providentia, elegit virginem pud-  
ciſſimam CATHARINAM, ALBERTI  
DETHLOVII relictam filiam, Dni. JACOBI  
STEINMANNI, Senatoris quondam apud nos  
prudentiſſimi privignam, eamq; ſibi matrimo-  
niali fœdere junxit, cum qua rurturum inſtar,  
in ſuavi, tranquillo & concordia, ſaltem per qua-  
driennium vixit conjugio; & ex ea duos ſuſce-  
pit liberos JOACHIMUM, muſicum præſtan-  
tem, & Organiftam ad D. Petrum induſtrum;  
adhuc;



adhuc, per Dei gratiam superstitem, & filiam  
MARGARETAM Anno 1602. pie defunctam.  
Anno 1597. dulcissima conjuge orbatus & in tri-  
sti viduitate cum duobus orphanis relictus;  
cum parvulorum suorum curam, uti deceret,  
propter scholasticas, quæ ipsi incumbebant,  
molestias, habere non posset; amicorum sua-  
su, & divino ita disponente numine, ad secun-  
da transiit vota, nuptiasq; celebravit, cum vir-  
gine omnibus virtutibus, fœmineum sexum,  
ornantibus conspicua, nunc mœstissima vidua  
DOROTHEA *Naderheiden* Anno 1598, In hoc  
quoq; conjugio, non infelici, singularem Dei  
benedictionem est expertus, in tribus, quos ipsi  
felici partu enixa est liberis, CATHARINA,  
CHRISTIANO, DOROTHEA, quarum hæc  
Anno 1623, pthisi extincta, patrem præcessit,  
CATHARINA, verò primum civi honesto  
HENRICO *Dosen* & eo è vivis sublato, Viro  
eruditione & virtute præstantissimo, Dn. ZA-  
CHARIÆ JULICHIO, Scholæ trivialis Col-  
legæ & Cantori ad D. Petrum, supetiori anno  
elocata est; Hisce perceptis conjugiorum suorū  
fructibus, cum labores scholasticos per integros  
40, annos sustinuisset, tandem cōtinuis labori-  
bus, curis, & morbis in sudore scholastico utpotè  
scor-



scorbuto, calculo, aliisq; contractis, exhaustus  
operisq; faciundis defatigatus, dierum satur, in  
vera filij Dei invocatione, & fide servatoris  
generis humani, JESU CHRISTI, à Deo tanquam  
summo Imperatore ex suis excubiis, ad cœle-  
stem scholam evocatus, nudius tertius noctu  
intra 11. & 12. piè & placidè obdormivit; no-  
bisq; rebus humanis exemptus, exuvias corpo-  
ris sui regendas reliquit. Cum verò eà ho-  
dierno die Christiano ritu terræ omnium ma-  
tri sint reddendæ, vos, cives Academici om-  
nium præstantissimi & honoratissimi, offi-  
ciosè rogatos & amanter monitos volo, ut ho-  
diè media I. in templo Mariano frequentes  
convenire, extrema hæc justa piè defuncto  
persolvere, & isthoc officio, quàm benè juven-  
tutis informatoribus cupiatis, & quid gratiæ  
illis vos debere agnoscatis, exemplo ipso decla-  
rare, & vosmet ipsos ac utramq; Rempubl. Deo  
opt. max. piis precibus commendare ne grave-  
mini. P. P. sub sigillo magistratus nostri 7. Maij  
Anno M. DC. XXIX.













adhuc, per Dei gratiam superstitem, &  
MARGARETAM Anno 1602. piè defun-  
Anno 1597. dulcissima conjugè orbatus &  
isti viduitate cum duobus orphanis re-  
cum parvulorum suorum curam, uti de-  
propter scholasticas, quæ ipsi incumb-  
molestias, habere non posset; amicoru-  
fu, & divino ita disponente numine, ad-  
da transiit vota, nuptiasq; celebravit, cu-  
gine omnibus virtutibus, foemineum s-  
ornantibus conspicua, nunc mæstissim-  
DOROTHEA Naderheiden/ Anno 1598,  
quoq; conjugio, non infelici, singulare  
benedictionem est expertus, in tribus, q-  
felici partu enixa est liberis, CATHA-  
CHRISTIANO, DOROTHEA, quart-  
Anno 1623, pthisi extincta, patrem præ-  
CATHARINA, verò primum civi-  
HENRICO Dofen/ & eo è vivis sublat-  
eruditione & virtute præstantissimo, D-  
CHARIÆ JULICHIO, Scholæ trivial-  
legæ & Cantori ad D. Petrum, supetio-  
elocata est; Hisce perceptis conjugioru-  
fructibus, cum labores scholasticos per 1-  
40, annos sustinisset, tandem cõtinuis  
b9, curis, & morbis in sudore scholastico

